



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

LIBER QVARTVS
DE CARITATE.
PRÆFATIO.



Explicata superioribus libris natura fidei ac spei, hoc tandem libro ipsa natura caritatis explicanda. Vt hoc autem plenius agamus, primò de ipso nomine & significatione caritatis nobis dicendum est. Multi hoc nomen à Græco *χρησ* deducentes, volunt scribi per *ch*, nimirum *charitas*. & multorum usu receptum est, ut ita iam plerumque scribatur. Aiunt tñdem hac ratione distingui caritatem, qua annona dicitur cara, ab ea qua Deum hominesque diligimus. Sed his obstat diuersa nominis Græci & Latini significatio. nam *χρησ* non significat amorem, sed gratiam: & *χρησ* gratiosum, non autem carum siue dilectum significat. Quare creditur videtur difficile *charitas* Græcum esse, cum apud Græcos in illa significatione nullum verbum simile reperiatur. Verba autem quæ Latini à Græcis mutuuntur, suam significationem retinere solent. Alij igitur, qui hoc tempore maximè orthographiæ student, vtrumque nomen ijdem literis scribunt, vel potiùs eodem nomine tam annona pretium, quàm dilectionem significari docent, tamquam inter se connexa, & quorum vnum ex altero sequatur. Nam cum & ea quæ magni pretij sunt, nobis cara esse siue à nobis amari soleant, & similiter quæ amamus magno pretio soleamus estimare, meritò vtraque tanquam communiter eadem eodem vocabulo exprimimus. His igitur, quòd hac deductio ex re nata facilis ac prona sit, libentiùs subscribo.

Iudith 9.

Haftenus de voce, quod autem ad significationem attinet, variè de hac varij scribunt: sed quod ad rem presentem spectat, etsi *caritas* generatim idem significet quod amor, atque adeò etiam aliquòdo in vitio ponatur, vt Iudith 9. vbi ipsa à Deo petens vt Holofernes eius amore capiatur, ait, Et percutes eum ex labijs caritatis meæ; communiter tamen in bonum accipitur, & quidè apud Patres ac Theologos, atque adeò etiam in Scripturis, presertim noui testamenti, pro virtute theologica, qua Deum propter se, & alia propter Deum diligimus, de qua hæc tota nobis est disputatio.

Distinctio inter amorem, dilectionem, caritatem & amicitiam.

Vbi hoc præterea notandum, plurimos inter hæc quatuor, scilicet, amorem, dilectionem, caritatem, & amicitiam ita distinguere, vt Amor sit quid commune his omnibus, & tam actui quàm habitui conueniat, Dilectio verò actum significet siue bonum siue malum, Caritas verò amorem honestum habituales vel actuales, atque adeò & veram amicitiam, quæ semper mutuum amorem significat. Amicitia tamen latiùs patet: nam etià inter homines tam malos quàm bonos reperitur, caritas verò solet pro ea sola amicitia accipi, quæ inter hominem & Deum intercedit, aut saltem qua homines propter Deum amamus. Tractat autè D. Thomas de caritate virtutibusque ei annexis, vitijque oppositis 2. 2. q. 23. vsque ad 46. cuius ordinem in his explicandis quàm proximè poterimus sequemur, quamuis in aliquibus nonnihil ab eo deflectemus.

D. Thom.

DISPV-